Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

in clarissimis mulieribus et valde pul-
chra. Tribunus vero misit ad eam honestas
feminas, ut ei loquerentur de coniugio. Beata
vero Natalia audiens hec verba ita re-
spondit. Et ego audiens hec gavisa sum.
Quis enim mihi poterit prestare hoc ut coniun-
gar tali viro. Sed hoc peto ut detur mihi trium
dierum spacium ut me preparem. Non enim me
estimabam dignam. Hec autem dicebat vo-
lens fugere et abire ubi erant corpora sanctorum
martirum. Et hiis verbis seduxit mu-
lieres que misse fuerant a tribuno. Ipsa
vero post egressionem earum abiit ad cubiculum
suum ubi erat manus sancti Adriani mar-
tiris, et procidens in faciem suam clamavit cum
lacrimis ad dominum dicens. Domine deus noster
deus tribulatorum, qui iuxta es hiis qui
tribulato sunt corde: respice in me ancillam
tuam et ne permittas maculari torum corporalem
Adriani martiris tui. Precor domine deus meus
ne obliviscaris Adriani servi tui. Mi-
serere mei domine, ne obliviscaris fracturam
pedum eius: et abscisionem manus illius. Mi-
sericors es domine ne in vacuum facias tor-
menta eius et miserias quas servus tuus
pertulit propter te. sed illius memorare et
erue me domine a consortio inimicorum, ut
non polluat inimicus meus multiformis
thorum Adriani martiris tui. Tu domine qui
liberasti sanctos tuos de illo igne: libera me
de expectacione impii huius. Et dum orasset
ex multo merore soporata est. Et ecce
unus de sanctis martiribus astitit ei dicens.
Pax tibi Natalia ancilla Christi, quoniam non de-
spexit te deus: neque nos obliti sumus omni-
um laborum tuorum quos exhibuisti in nos.
sed statim ut apparuimus in conspectu Christi
deprecati sumus eum ut cito venias ad nos.
Cui beata Natalia dixit. Dic etiam mihi sancte.
si astitit vobiscum dominus meus Adrianus coram
Christo. Et dixit ei. Etiam ante nos appa-
ruit ei: sed exurge ascende in naviculam
et navigans veni iuxta nos ubi sunt corpora
nostra. Ibi enim visitabit te deus: et perducet
te ad nos. Et dum evigilasset Natalia et
in semetipsam reversa fuisset: exurgens re-
liquit omnia sua: solummodo manum beati
Adriani martiris tulit secum: et exiens ascen-
dit in navim: invenit multitudinem viro-
rum et mulierum, qui et ipsi fugiebant a con-
spectu impiissimi regis. et cum eis naviga-
vit. Addiscens autem tribunus quod eam perie-
rat quod fugisset Natalia, ingressus palacium
postulabat a rege adiutorium militum. Et
cum accepisset, ascendit navim aliam
et sequebatur eam. Et dum navigasset quasi
mille stadia: exurgens ventus contrarius
revocavit eos retrorsum unde ascenderant.
quidam autem ex eis mortui sunt impetu
fluctus. et dimersi sunt in profundum. Medi-
a autem nocte apparuit eis spiritus seductio-
nis ubi Natalia navigabat in specie na-
vis, in qua etiam videbantur esse pirate. Et
dicebat eis quasi voce naucleri. Unde
existis et ubi pergitis. At illi dixerunt
Ex nicomedia civitate egressi sumus et in
bizancium navigamus. Dicit eis iterum
spiritus erroris. Erratis vos, non enim est ista
navigacio. ad illam partem pergite que est
ad sinistram. volens eos in pelagus mittere.
Estimabant enim illi quod veri naute orien-
tales essent. Et surgens transmutabat ve-
la ubi dixerat eis. Ecce autem subito ap-
paruit eis sanctus Adrianus velut in cara-
bo sedens et clamans dixit ad eos. Veni-
te siquidem ad motum est velum vestrum. nec
sequamini eum. Ipse est enim qui persequitur
vos ut perdat vos. Et statim nusquam
comparuit ille spiritus erroris. Exurgens
autem sancta Natalia et videns quia pre-